

in Scriptura amplissimus. Operosum videmus Gvss ETIVM, Virum in his literis exercitatissimum, ut in tanta diversitate objectorum, quibus describendis hæc vox adhibetur, aliquam notionem velut generalem & abstractivam inveniat, quæ tamen, omni quoque conatu adhibito, alia esse non potest quam *coëundi seu faciendi ut aliquid coëat*, unde de *frumenti granis collectis Dent. XVI, 13. de lepræ ulceribus sanatis 2. Reg. V, 3.* ipsisque *leprosis alias separatis & rursus in consortium aliorum hominum receptis legitur Num. XII, 14. 15.* Neque impedit hoc assertum significatio *adimendi*, quam in nonnullis locis habet, & in ipso hoc nostro Joële c. III, 15. & præsentis Capitis vers. 10. ubi *de Stellis*, quibus splendor ademptus est, usurpatum, nam & hic conceptus collectionis locum habet, ut, sicut per expansionem lucis radii amittantur, ita illi velut rursus colligantur per tenebras. Designat in Codice sacro hinc inde speciatim *collectiones hominum* vario fine institutas, ut doctorum virorum, qui de rebus gravibus & ad sapientiam pertinentibus inquirunt & mutuas sententias conferunt. Ita enim τὸ ηὔδον interpretandum, quod habetur Ecel. XII, 13. Sanctorum ad DEVUM celebrandum Ps. L. 5. Seniorum ad Verba DEI audienda & judicium formandum. Exod. III. 16. Adeo ut plerumque talis *congregatio* universa uno eodemque fine sit confluens, qualiscunque demum iste sit. Ac præsenti quidem in loco quisnam finis fuisse dici queat, videtur esse obscurius. Nam primum intuenti equidem appetet, ac si saltem audiendi causa Ministros precantes convenire juberentur, ex Capite vero I. perspicuum est, ideo illam factam esse collectionem, ut & ipse populus *preces publice funderet, C. I, 14.* Ubi fere eadem locutiones, quæ in nostro oraculo habentur, paucis saltem illu-